

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis sextâ mensis Martii, anno Domini M. DCC. LXVI.

M. MICHAELE-LUDOVICO VERNAGE, Equite & Censore Regio, Doctore Medico, Præside.

An resciso Testiculo, funiculum spermaticum ligaturâ constringere malum?

I.



DIRAM fati necessitatem homini dum imposuit natura, vim sui reproductricem ipsi concessit, ut quo passu vivendo ad mortem properaret, eodem in natos vitam, vim, & robur transmitteret. Quâ propter organis generationi comparatis illum munivit provida, testibus putà, vesiculis seminalibus ductibusque variis, quibus ab illâ in aliam partem vel deportaretur semen prolificum, vel per vulvam in uterum posset vibrari. Inter illa verò primas tenent testiculi, quorum sicut situs, figura, numerus, magnitudo & usus maximè nota, ita & intimior structura & facultas illa quâ sanguinem in sperma commutant oculatiores fugiunt. At sui sunt didymis morbi contra quos sua quoque fert auxilia *dietetica*; cum verò plurimi ita horumce vim eludant, ut sæpè sæpiùs nullâ victûs ratione possint oppugnari; solertem manum tunc adhibet ars *quæ instrumentis medetur*, seu illa setaceis partem transforet, seu cauteria admoveat, vel puncturas, scarificationes aut alia id genus pro morbi naturâ & indole instituat. Verùm enim verò ubi semel altiùs ita serpit malum ut nulla recuperandæ sanitatis spes supersit, tunc citò citiùs ad rescisionem testiculi confugiendum, quam tamen absque prævià vasorum spermaticorum ligaturâ, vix celebrari posse non nulli contendunt, aliundè licet in arte periti. Hanc verò praxim nulla secum ferre commoda, imò periculis & gravioribus plurimùm fore obnoxiam affirmare non dubitamus.

II.

NIL intentatum reliquit anatomistarum industria, ut testium ulteriores recessus pererraret, atque spermatis secretionis nodum solveret. Qui labores, quæ didymium sectiones, macerationes, injectiones, nullam licet circà seminis elaborationem lucem effuderint, attamen in dignoscendis & sanandis illorum morbis, vel complicatioribus, multùm præstitêre.

A vasis spermaticis originem ducunt testiculi, glandulæ species, quos ideò vasa spermatica longiùs producta, atque in gyros multiplices intorta lubenter dixeris. Peculiaribus inclusæ vaginulis singulæ illæ circumvolutiones, fasciatim ita inter se componuntur, ut ex illis variæ crescant testium partes, didymes putà & epididymes. Hos autem cingit triplex tunicarum genus, scilicet, albuginea tunica, quæ interior: vaginalis quæ medium tenet: & quam scrotum vocant, aliis exterior, crassior,

ſior & firmior. Porrò vaſa ex quibus ſoboleſcunt glandulæ, venoſa & arterioſa, nervis ubique muniuntur. Sunt & alii canaliculi epididymibus continui deferendo ſpermati comparati & funiculi ſpermatici compoſitionem ingredientes. Tubulos ſubindè lymphaticos etiam in teſticulo reperire eſt. Arteriæ ex aortâ oriundæ non numquam à renalibus procedunt, venæ ex cavæ trunco vel ex emulgentibus, quòd ſiniſtro lateri frequentiùs contingit. Nervi, plexibus nervorum pelvis & lumbaribus natales ſuos debent. Triplex illud organorum apparatus à poſticâ in anticam partem iter faciens tandem transforamen muſculorum abdominalium unum & alterum inguen petit; nec infimi ventris parietes feriunt vaſa, quin per latera ſimul coaleſcant, mediante cellullari textu, à peritonæo mutuato: quidquod foras ſemel emerſa illa ſicut & deferentia ab ipſo peritonæo, ſimul cum continuo teſticulo tunicentur, & fibris muſcularibus *cremaſteris* fulciantur. At verò ſpermatica arteria in principio, diametro anguſtiſſima, in decurſu non nullos ramos emittit, donec ad abdominis annullum uſque pervenerit. Imò & dum infimi ventris hæc oſtia pulſat, in alios abit ramulos & ſic partita, teſticuli ſubſtantiam ſubit. Vena quoque ibi etiam loci multiplex, gyris admodum peculiaribus arteriæ ramos amplectens, unà cum illius propaginibus *pyramidale* corpus exhibet. Nervi prædictis vaſis *mirum in modum intertexti*, longe lateque hùc & illùc diſſeminantur. Neque poteſt vaſorum ſpermaticorum ulla pars duriùs tractari, quin moleſtentur illi vel in minimis ſuis diviſionibus; ex quibus quam ſuperfluum ſit & quam periculoſum vaſa ſpermatica vincire, fit manifeſtum.

III.

SICUT multiplex teſtium apparatus, ità & morbi quibus premuntur illi plures numero; inflammantur enim didymes, humore nutritio vel ſpermate turgent, aut ipſi marceſcunt; cum his etiam tument circumjectæ tunicæ; lymphâ, ſcilicet, pure, urinâ, ſanguine, pneumate forſan, cum in propriis tum in alienis receptaculis pluſquam par eſt collectis, aut parietum factâ diſruptione, in ampliores caveas latè diffuſis. Humoris contenti diverſa indoles, diverſum morbum ponit. Hinc fit ſarcocele, ſpermatocele, hydrocele, hæmatocele, &c. &c. qui affectus cum vel ſeparatim, vel agmine facto teſticulum lædant, ſunt modò ſimplices; modò compoſiti, Adeòque faciliùs aut difficiliùs & dignoſci & curari ſe ſinunt. Tot malorum principia iis altiùs inquirenda permittimus, quibus ſervando teſticulo idonea medicamenta, ex tempore, in uſum advocare ſors dat & occaſio. Nobis quâ de causâ reſcindi debeat teſticulus, paucis hîc expoſuiſſe ſufficiet. Pertinax igitur inflammatio, glandulæ ſuppurationem, indurationem, gangrænam, aliave ſecum non raro fert incommoda: victû, topicis, cauteriis, aliiſque auxiliis adverſùs hydrocelen licet adhibitis; quandoque partem deturpant, maculæ gangrænodeæ, quæ ſi altiùs ſerpant totam teſticuli ſubſtantiam valent infeſtare. Apertis etiam in eodem affectu tunicis, didymibus adnaſcitur caro fungoſa, quæ ſæpè ab eſcarroticorum inconſultiori applicatione, cancri formam induit. Sarcocelen & ſpermatocelen reſolventibus iiſque validioribus aggrediuntur imperiti; ex topico aquoſum quidquid ſupereſt difflatur, conſtringuntur vaſa, glandula indureſcit, mox creſcente duritie in ſchirrum & cancrum abitura. Corrumpitur ſanguis in hæmatocele vel minùs cautè educitur non ſine magno partium detrimento. Pus intra tunicas vel in ipsâ didymi ſubſtantiâ congeſtum hunc vel depaſcit, vel depaſcere minitatur; remorâ malum ingraveſcit, jamque vel in toto, vel ex parte perit teſticulus. Quidquod urina ipſa ab urethræ diſruptione inter tunicarum lamellas effuſa, ad tempus licet educta gangrænam poſt ſe relinquat, ſubjecto teſticulo infenſiſſimam, Ut ſexcenta alia mittamus. Graviuus fit malum, vel levius juxtà modum quo ſpermaticus læditur funiculus; ſic ubi minor eſt inflammatio, nec infarctus vaſorum nimius, neque illius læſio altiùs aſcendit, ægro aliundè ſano, læta prognoſis habetur; ſecùs, dubia hæc eſt admodum & periculoſa. Verùm in hiſce rerum anguſtiis, teſticulum citò citiùs reſcindere ſuadet ratio, neceſſitas jubet. Idcircò

cùm digitis apprehenſâ cũte & corrugatâ, quâ parte muſculorum abdominalium annullo incumbit, ſuper illam fit ſectio eaque à prædicto loco ad infimam uſque ſcroti partem recto tramite ſolet extendi. His præmiſſis ſcalpelli ope, aut digitorum miniſterio teſtem cum vaginâ à ſcroto quàm citiùs diducunt, dein vaſa ſpermatica vinculo duplici vinciunt, interpoſitâque ab inferiori ligaturâ ſemipollicis diſtantiâ, funiculum ſecant, ſcroto aliundè integro derelicto, aut parte illius tantùm reſectâ, ſi tumorem involucrum illud plus æquò diſtraxiſſe judicet operator. Vides quænam ſit vulgatior operandi methodus, nunc quibus hæc vitiis prematur audi.

I V.

DESCRIPTAM operandi methodum non modò infidam, imò nocivam declarare non animi pendet; namque ferro, vel manibus dum teſtis à ſcroto ſeparabitur, major undique fiet fibrarum diſtractio, gravioribus proindè cruciatibus torquebitur patiens, neque à relictâ ſcroti ſubſtantiâ minùs erit metuendum, hæc enim inflammari, vel in ſuppuratum aut gangrænam abire facillimè poterit; quin imò tunc temporis novus ille morbus novam expoſtulabit operationem, & quæ uno ictu reſecari potuiſſent, inutiles ſcroti reliquiæ, bis terve repetitâ vice venient exſcindendæ; hinc iteratis doloribus, ægrotans denuò cruciabitur, vitaque illius magis ac magis erit in lubrico repoſita, ni de illâ jam ſit actum. At verò ſola hæc ne credas eſſe incommoda, aliud premit tantò gravius, quantò huicce, jactâ ſemel aleâ, obviam ire difficiliùs fit. Vaſorum ſpermaticorum ligaturam intelligimus; hæc quâ ratione inſtituatur non ità dilucidè patet. Finis quidem eſt ut imminens præcaveatur hæmorragia: aſt ſicut cum periculo rariùs occurrunt illæ ſanguinis jacturæ, ità & perpauci admodum habentur, ſi qui ſint, ab illis functi. Nunc verò noxas à ligaturâ oriundas ſedulò perpendant illius fautores & quantus ſit victimarum numerus paulò attentiùs videant, mox ipſi de ſuâ praxi dijudicent. Atque ut de illâ paulò fuſiùs diſſeramus; vel ſana ſunt, vel morboſa dum deligantur vaſa ſpermatica; ſi ſana nec plus æquo dilatata, puerilis pavor, metus inutilis (§. II.), proindèque amovenda ſuperflua cautio. Si morboſa, infarctu, inflammatione aut utroque ſimul laborant; quâ turgent igitur materiâ maturè ſunt expurganda, vel inflammatio relaxantibus, emollientibus, paregoricis eſt compeſcenda. Credis à ligaturâ id obtineri? Contra vinctus intumeſcet funiculus, creſcet illius ingurgitatio, præſens inflammatio vires acquiret, abſens, partis diſtractione, aut puncturis, imò & ab ipsâ ligaturâ, citò citiùs accerſetur, convulſiones quoque non raró choream ducent; dolor ad lumbos uſque, nervorum ope protractus, futuram ſuppurationem indicabit; pus interim, vel à topicâ inflammatione vel â refluâ materie per ligaturam retentâ ibi colligetur, & æger ad plures migrabit (a).

His omnibus obviam venit ſimplicior, mitior, imò ſolertior operandi methodus, pro quâ ſtrenuè militat omni laude major *M. Petit*. Manibus cute contractâ in loco à foramine muſculorum abdominis haud diſſito, ſectioneque ibi inſtitutâ, à dextris modò, modò à ſiniſtris circulariter ad infimum uſque ſcrotum altiùs hæc protenditur. Eâdem arte, cum ſcroto unius lateris, incluſum teſticulum ab altero ſicut & a funiculo ſeparatur. Secta vaſa ſpermatica ſibi relinquuntur, vel ſi uberiùs prorumpat ſanguis cum agarico tractantur, Totaque ſic abſolvitur operatio. Hoc autem proceſſu ingenioſè admodum præconcepto recenſiti vitantur ſcopuli, funiculus ſcilicet & citiùs & benigniùs ſuppurat, dolor in operando fit mitior, nec ægrotanti ulteriores metuendæ veniunt inciſiones. Unde fit ut perpaucis diebus convaleſcat ille, adeò præſtantior eſt is operandi modus, adeò cæteris longè antecellit.

(a) Tres in anno vidit miſeros. M. *Petit* de quorum teſticulo reſcindendo cùm ageretur, ſecto ſemel funiculo ſpermatico, pro more hunc deligavit, Chirurgus, multùm licèt adverſante viro celeberr. At duobus ferè abhinc menſibus, è medio tollebantur ægrotantes. Aperto illorum cadavere, circà totam vaſorum ſpermaticorum longitudinem collectùm pus hærebat; & ſub pancreate abceſſus deliteſcebat, magnitudine inſignis, & diſtenſione abdominis parietibus vim faciens; Attamen nec priùs fuerant didymes ulceratæ, nec à ſtatu ſano recedebant vaſa ſpermatica dùm inſtituta fuit operatio, imò & inter ægrotantes erant duo, 25.e annorum circiter nati, robuſti admodùm & vegeti. Alter 43.um annum aſſequutus, aliis paulò delicatior, de cætero non minùs benè ſe habebat.

V.

INCONCUSSIS licet rationum momentis innixa ſit noſtra hæc opinio, quædam tamen adverſùs illam objici poſſunt argumenta, quæ licet à præjudicatis opinionibus originem ducere videantur, nihilominùs paulìſper ſunt perpendenda. Quo pacto, quibuſque circumſtantiis inſtitui debeat ligatura, ex ſequentibus nonnulli definiunt. *Vincula*, ut aiunt, *ſemper injicienda quâ parte funiculus* naturalem craſſitiem *ſervat. Neque annullum muſculorum abdominis dilatare timent, ſi uſque illùc præternaturalis craſſities pertingeret.... Eam cautelam præcipue* commendant, *ſi æger Cachochimiâ aliquâ laboret, atque ex vulnere ſanguis ater-fœtens prodierit; in eo enim caſu, ne in cancrum vertatur, quòd plurimis obſervationibus conſtat, ſummè pertimeſcendum eſt; idque ferè perpetuum eſt, quando didymus ipſe cancro laboravit* *. At verò, illorum pace dixerim, ſi ſemper in ſanâ parte ſit reſecandus funiculus & deligandus, *cautela* certe inutilis eſt, hocque ex dictis (§ II) abundè patet. Nocebit & quoque in morboſo funiculi ſtatu, quod non modo ab allatis rationibus (§ IV), ſed etiam ab ipſo contrariorum teſtimonio comprobatur. Nec ſicuti volunt in abdomine ipſo ſunt ſecanda & vincienda vaſa ſpermatica: *Nihil ex illo pertimeſcendum videant* illi quandiù voluerint, horumce opinioni apertè contradicit expertiſſimus & oculatiſſimus *Heiſter*; *etenim ſi vaſa ſpermatica propè annullum vel in ipſo annullo ligentur, metuendum eſt ne inflammatio ad partes internas procedat* *.

* Mém. de l'Acad. de Chirurg. Tom. III. pag. 115.

* Heiſter Chirurg. Tom. II.

Sunt qui vincturarum noxis rectiùs edocti, nec tamen hæmorragiæ metum deponentes, filum per funiculi craſſitiem trajiciendum ſuadent, in hoc & vaſorum & nervorum conſtrictionem vitare ſimùlque ſi quâ fortè ſanguis copioſiùs erumperet, promptiùs fluxum illius ſe moderare poſſe exiſtimantes. At cùm ex hâc praxi etiam fortiùs tractetur funiculus ſpermaticus, & ſit magis hæc amovenda læſo funiculo, nec eo benè ſe habente etiam neceſſaria videatur, illâ ſatiùs eſt omninò abſtinere. Nunc perpenſis argumentis ex utrâque parte propoſitis, expoſito ſucceſſu *Petitianæ* methodi, clariùs notis infortuniis adverſam methodum ſubſequentibus, non ità facilè cum auctoribus, arduam & eventu infelicem caſtrationem dicimus; imò hanc ablegatâ ſemèl ligaturâ, periculo plurimùm vacare, experientiâ duce, cenſemus. Ideòque concludimus:

Ergo reſciſo teſticulo, funiculum ſpermaticum ligaturâ conſtringere malum.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Stephanus D'HUAUME.	*M. Natalis-Nicolaus* MALLET, *Chirurgiæ Profeſſor.*	*M. Natalis-Maria* DE GEVIGLAND, *Regiorum in Germania Ducum & Militum Noſcomiorum nuper Medicus.*
M. Joſephus DUSSANS.	*M. Franciſcus-Ludovicus-Thomas* D'ONGLÉE.	*M. Franciſcus-David* HERISSANT, *Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiæque Societatis Londinenſis Socius.*
M. Joannes-Armandus ROUSSIN DE MONTABOURG, *Scholarum Profeſſor deſignatus.*	*M. Guillelmus* FUMÉE.	*M. Carolus Franciſcus* BOUTIGNY DESPREAUX.

Proponebat Pariſiis JOSEPHUS-JACOBUS GARDANE, Maſſilienſis, Doctor Medicus Monſpelienſis, necnon Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Auctor, A. R. S. H. 1766. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1766.